
BASILICÆ
S. GENOVEFÆ
DECORA
EMBLEMATIBVS
ILLVSTRATA.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY Regis & Reginæ
Architypographum.

M.DC.LXI.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

FRANCISCO

BLANCHART,

SANCTÆ GENOVEFÆ

PARISIENSIS

ABBATI,

CANONICORVM REGVLARIVM

CONGREGATIONIS GALLICANÆ

PRÆPOSITO GENERALI,

APOSTOLICARVM IMMVNITATVM

IVDICI CONSERVATORI

INTEGERRIMO,

ORDINIS CANONICI

DEFENSORI, ET VINDICI

RELIGIOSISSIMO,

ASCETICÆ PERFECTIONIS

CVLTORI, ET ASSERTORI

MAXIMO

HÆC ELOGIA

D. D. D.

OBSEQVENTISSIMVS FILIVS

F. LVDOVICVS BRETHE DE CLERMONT,

CANON. REG. CONGREGAT. GALL.

LECTORI.

MEOS faciliùs condonabis errores, ſi genus hoc ſcribendi tibi non eſt inſolens: Et quidem, ut aſſentationis ſuſpicione non vacat nimia laudatio, ita nec temeritatis notâ præceps vituperatio. Cùm Oratorum in manus cadit, ſæpè tot inuenit cenſores, quot Lectores: quibus enim placet ille verborum ambitus, & in orbem quemdam circumductus orationis tumor, hi verbis læduntur inſuetis, & à trito devianti calle contumelioſiùs inſultant: Cùm offendit in rudes & imperitos, illos haud dubiè offendit; irrident enim, quæ non arrident, & deſpiciunt, quæ non capiunt: advertant utrique modum hunc dicendi nimiam exuere ſermonis elegantiam, nec verborum ſectari lepores: Si pictura eſt, tegit hanc, qui veſtire vult; ſi cibi genus quoddam eſt, ſinapi ſimile, guſtum acuit, famem non pellit. Exile licèt ſit hoc opus, tuoque, LECTOR, *vix dignum conſpectu, otioſam tamen requirit mentem, ne fugias, quæ quæris, & ne, multa legendo, pauca legas. Hinc, ubi aliqua delibaveris elogia, paululùm ſubſiſte, &, ne cætera pariant faſtidium, novam expecta famem. Cæterùm notis hæc diſtincta ſunt; nempe, ne obſcura ſint; appoſita ſunt Emblemata, ſcilicet ad ornamentum; non enim Emblematum causâ elogia, ſed [a] Emblemata propter elogia. Verùm utraque exhibemus ad noſtrorum decus Heroum; ipſis enim vectigalem ſic facimus calamum, ut, quos maximè* PATRONOS, BENEFACTORES, *&* ANTECESSORES *agnoſcimus, ſuſpiciamus, & hac laudum, veluti florum, laureâ, beneficam, quantùm poſſumus, manum honoremus.*

[a] Dicta Emblemata ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλειν, hoc eſt ab inſerendo.

S. PETRVS,

Sub cujus patrocinio basilica S. Genovefæ Parisiensis primùm à Clodovæo fundata est anno 510.



MODICIS è rebus quanta pendent!
Ex imis summa, ex fragilibus inconcussa, ex caducis æterna.
Hinc PETRVM Ecclesiæ suæ subjicit [a] rupem CHRISTVS, [a] Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã. *Matth. cap.* 16.
Quem [b] cadentem tenuerat.
Et PETRVM vocat, quem ædificii sui consecraverat *petram.*
Moveatur undequaquè bellum, totus Orbis conscribatur in militem: [b] In mari. *Mat.* 14.
Non commovebitur;
Quia invictus semper, cui militat Deus:
Nec enim victum appellem PETRVM, quem ab Herode [c] vinctum video. [c] *Act. Ap.* 12. *cap.* 9.
Non vincitur, imò nec vincîtur;
Nam vincula ut sensere tam sanctas manus,
Cecidere ad pedes, quasi veniam rogatura:
Verùm & carcer puniendis assuetus criminibus, hunc horruit,
Et, quem innocentem exceperat,
Apertis ultrò valvis martyrem reddidit.
Sed cruci & morti ab Nerone damnetur:
Hoc ipso tyrannum sternit, cùm sternitur; perdit, cùm perit:
Nam sublatus in arborem, nusquam veriùs palmam apprehendit,
Vel [d] pedibus. [d] Pedibus in altum sublatis crucifixus est.
Falleris, Calvine, qui Ecclesiam dissipari posse autumas;
Tot augetur cunabulis, quot sepulchris.
Quippe Martyrum vulneribus erumpens sanguis,
Redit in Christianorum venas,
Et respiramus ipso flatu, quem Martyres exhalant.
Dum steterit vel unus PETRVS, inconcussa stabit Ecclesia:
Hoc Atlante *non commovebitur.*

D. PAVLVS.

Ejus etiam nomini Templum Sanctæ Genovefæ Parisiensis primitus dedicatum fuit.



DIVINITATIS arcana quis evolvat?
Quâ vehente tolluntur infima, eâdem dejiciente cadunt alta.
Hinc clarescit majestas Numinis.
Sic mutandus in PAVLVM SAVLVS, à polo in solum deturbatur,
Vt ex equo in terram excussus, à terrâ in cœlum assurgat.
Nimirum, *Contumeliæ* [a] *vas*, *Electionis* futurum,
Debuit in lutum allidi;
Omnium [b] *peripsema*, debuit in pulvere nasci;
Magnus Apostolus, debuit ex [c] *minimo crescere.*
Ita postmodum rectè callem tenuit [d] *rectum*,
Ne deviaret, qui totum in mundum erat excursurus;
Inde ritè nascitur in viâ Christianus,
Qui se vocat [e] *Abortivum.*
Verùm, qualis *Abortivus*,
Qui tonante & fulgurante cœlo paritur!
Qualis [f] PAVLVS,
Qui gigantæo gradu totum emensus orbem,
Metiri voluit & [g] cœlum!
Fons qualis,
Qui solum undequaque cœli donis alluit,
Cœlum telluris alumnis implevit!
[h] *Romanus* verè, & victor *Civis*,
Qui Romano Pontifici, imò Deo, totum mundum fecit vectigalem.
Sibine deesset, qui omnibus profuit?
Decuit fontem origini parem assurgere,
Et [i] elapsum è cœlo PAVLVM,
Illuc iterum *eundo crescere.*

[a] *Act.* 9.

[b] Peripsema, ramenta vestigiorum significat. *Budæus.*

[c] 1. *Cor. cap.* 15.

[d] *Act. cap.* 9.

[e] 1. *Cor.* 15.

[f] παῦλος parvus.


[g] Raptus usque ad tertium cœlum. 2. *Cor. c.* 12.

[h] Hic homo civis Romanus est. *Act. Apost. cap.* 22.

[i] 2. *Cor.* 12.

S. DIONYSIVS,

Patronus ejusdem Basilicæ, in cujus cryptâ subterraneâ sacra celebrasse traditur.



CALIGAT Plato, qui lumen sine lumine negat conspici:
Nusquam meliùs quàm è tenebris conspicias Solem.
Inde Numen agnovit DIONYSIVS;
[a] *Nox* ejus *illuminatio.*
Nam cadente Sole *illuminatus* est:
Noctuæ instar expirantem surrexit ad Solem,
Et quem ferre non potuit totâ circumfusum luce;
Deficiente sustinuit.
Imò hac è *nocte* tantam hausit lucem,
Vt ex [b] Atheniensi Noctuâ, Evangelica factus Aquila,
Mundo vulgaverit Deum.
Hinc benè Athenis abscesserat Noctua, vbi [c] *ignotus* erat *Deus;*
Vt [d] Heliopolim accedens Aquila, propiùs suum intueretur Solem.
Quàm felix Gallia,
Non quæ DIONYSIVM mundo,
Sed quam DIONYSIVS CHRISTO peperit!
Imò quàm infelix, quæ parentem interemit suum!
Fallor! non interit, qui potiore sui carens parte, alterâ [e] vivit;
Aut fatere non unam habuisse vitam, qui bis moritur.
Vt ut sit, in regni [f] Capite caput amittit,
Quod nolens in terram deprimi, gestavit in manibus.
Quot tunc novus Viator fixit vestigia, tot fecit miracula,
Tot & Martyr [g] obtulit Deo sacrificia.
Ipsi pro tumulo posuere [h] templum Reges;
In quo postmodum ideo jacuere,
Vt cum Parente [i] tumularentur Filij,
Et sepulchra, hæreditatis beneficio,
Mutarentur in æternitatis cunabula.

[a] Agnovit Christum morientem per Solis deliquium.

[b] Noctua Minervæ sacra colebatur ab Atheniensibus.

[c] *Act.* 17. Aram, in quâ scriptum erat *Ignoto Deo.*

[d] Vrbs Ægypti, in quâ S. Dionysius Solis defectum in Christi morte animadverit.

[e] Ad duo milliaria caput detulit.

[f] Lutetiâ.

[g] Caput gestans similis offerenti Deo sacrificium.

[h] Basilicam sancti Dionysij erexit Dagobertus.

[i] Hic humantur Reges Galliæ.

S. AVGVSTINVS,

Clericorum huic Ecclesiæ ministrantium Patronus,
& Canonici Ordinis Instaurator.



ERRAS, qui imperante Constantio natum AVGVSTINVM autumas:
Ante annum regnantis Theodosii decimum,
Ante annum ætatis suæ [a] tricesimum, quod mirere, non vixit. [a] Anno vitæ suæ 34. Ecclesiæ natus est.
Evolve Mysterium.
Icon AVGVSTINI dies est:
Diem [b] pinxeris, vitam descripseris. [b] Integrum & 24. horarum.
Quid audis? quem laudo AVGVSTINVM, criminor,
Quando, quem luci, hunc nocti similem adstruo:
Quippe *lumen* inter & *tenebras* dirimitur dies.
Nec indignatur suæ [c] præco deformitatis AVGVSTINVS, [c] Libro Confessionum, ubi sua vulgat vitia.
Qui primam vitæ partem egerit in [d] noctis spolia. [d] Deflet ut opera tenebrarum.
Hanc obliviscere tu, quam, cùm vixit, nunquam oblitus est:
Ad alteram aspira, luce non carebis.
Nempe [e] *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus:* [e] Annis 34. mundo, totidem & ampliùs Deo servivit.
Quod fuit eò illustrius, quò nox fœdior;
Nam, qui sanctiùs senesceret, improbè adolevit.
Audi querulos in [f] horto fletus, vide lachrymarum imbres, [f] *lib. Conf.* 8.
Novæ sunt, sed sanctæ vitæ auspices.
Imò intuere his ab aquis emergentem AVGVSTINVM,
Tanquam ab oceano Sol prodit.
Fallor! Sole in hoc illustrior AVGVSTINVS,
Quòd absque crepusculo [g] meridianus fulget. [g] Vix ad Deum conversus in ejus exarsit amorem.
Nimirum, natus in Africâ, orientem despicit;
Et quem non puduit è tenebris erupisse,
Pudet oriendo non ardere.
Ita ante-actæ vitæ noctes pleno compensavit die.
Quantus ille est (ô CLERICI) cui Aurora probro est?
An *lumine* careat, qui habet hunc in patrem?

S. GENOVEFA,

Cujus ſepulchrum tot coruſcavit miraculis, ut dicatum priùs Petro & Paulo Templum, à Genovefâ dictum ſit.




ERECTO, non dejecto vultu cernitur GENOVEFÆ tumulus:
[a] *Arca eſt elevata in ſublime à terrâ.*
Quid jaceret, per quam nemo jacet?
Quid premeret mortuam tellus, cui vivens nunquam hæſit?
Quid ſederet inter homines, quæ vixit inter Angelos?
His moriens [b] totam jungere ſe parabat,
Sed, avolante animo, fugiens etiam corpus tenuere Pariſienſes;
Et [c] aureis conſtrictum vinculis, pretioſiſque onuſtum lapidibus,
Poſuere cœlum inter, & ſolum,
Vnde fœdus jungeret Deum inter, & Gallos:
Piæ temeritati conſenſit Numen,
Hocque propitio *ſydere*, velut tædâ,
Suos nobiſcum celebravit hymenæos.
His è nuptiis ſterilitatem poſthàc haud metuas Gallia;
Feracior tu nuſquam, quia nuſquam fœcundius cœlum;
Quippe *hoc ſydere lilia florent.*
Iacet in exemplar [d] Clodovæus,
Quem, ſi Regum quintum numerant Galli,
Chriſtianorum primum Deo parit GENOVEFA:
Matrem hanc non dedignatur filius,
Nec in tumulo;
Vt qui, dum viveret, viventem coluit,
Mortuam mortuus vel in [e] effigie colat;
Et cujus ſanctitati regiam dignitatem fatetur vectigalem,
Subditos, quantùm poteſt, ipſius addicat cultui.
Hoc ad *ſydus* tolle oculos, qui Pariſienſi veheris in [f] *Navi*,
Et ſpera propitium Numen,
Ex quò [g] *arca reſedit in* [h] *monte.*

[a] *Geneſ. cap. 7.* Arca ſeu capſa S. Genovefæ marmoreis ſuffulta colomnis elevatur in ſublime.
[b] Animum & corpus.
[c] Eadem capſa auro gemmiſque conſpicua.
[d] Iacet in medio chori, in tumulo marmoreo.
[e] Eo ſitu jacet effigies Clodovæi, ut S. Genovefæ conſpiciat capſam.
[f] Navis, Pariſiorum ſtemma.
[g] *Gen. 7.*
[h] Genovefæ.

S. ALDA,

S. Genovefæ, dum viveret, comes aſſidua, & poſt mortem in tumulo ſocia.



INCOMITATA non eſt, nec in tumulo, Genovefa:
Ad Arcam [a] excubias ducunt illuſtres ſociæ;
Cui enim ſanctitas Clotildem dedit ſodalem,
Addidit ALDAM *Virginitas*.
Quidni tantæ virtutis odor haberet aſſeclas,
Cujus [b] *amore* delapſum eſt in terras Numen?
Hinc ALDAM [c] Monocerotem ritè dixeris *Virginis* in gremio captum:
ALDA quippe virtutum initianda magiſterio,
Bene Genovefæ diſcipula traditur.
Quò præit illa, hæc [d] ſequitur;
Nec ſanctiùs putat colere mentem ſuam,
Quàm cùm colit alienam.
Stupet tamen illudi ſanctitatem in Genovefâ,
Et queritur ab homine deſpici, quæ à Deo ſuſpicitur.
Verùm, cui patrocinari non valet,
Injuriarum pondus ferendo levat:
Hinc præripit opprobria, ludionibus occurrit, in ſe ſcommata colligit.
Vlcera, quæ manu ſanat illa, lavat hæc lachrymis;
Quos illa compedibus exuit, hæc paſcit.
Ex arbore, ramum diſce; ex fonte, rivum;
Ex matre, filiam; ex Genovefâ, S. ALDAM:
Quæ abundè ſaginata doloribus,
Didicit quanti conſtaret ſanctitas;
Nec tantùm;
Sed & didicit quanta tandem ejus in cælo merces.
Quò ſecuta Genovefam, cum illâ ſequitur ſponſum.

[a] SS. Clotildis & Aldæ thecæ ad capſam S. Genovefæ adſident.

[b] *Aug. & Bern. in laudem virginitatis.*

[c] Monoceros capitur à venatoribus in virginis, ad quam accurrit, gremio. *Plin & Albert.*

[d] Monocerotis more.

B. PRVDENTIVS

Parisiensium VIII. Episcopus jacet in cryptâ subterraneâ ad lævam S. Genovefæ.



AD Divæ Genovefæ Mausolæum
Quid agunt [a] PRVDENTIVS, & [b] Ceraunus?
Senes duo sunt, sed pudici; populi Iudices, sed æqui;
Virginem circumstant, sed ut protegant.
Imò Cherubim duo sunt,
Qui propitiabili incumbunt Arcæ.
Tantis viris eguit Galliæ Patrona:
PRVDENTIO, ad proborum regimen;
[c] Ceraunо, ad impiorum terrorem.
Ita sancti, sanctam; [d] Pastores, Ovem tuentur,
Ne diceres Ecclesiæ Præsules, deseruisse mortuam,
[e] Quam viventem rexerant.
Fallor: Pastores (novo spectaculo) ab [f] Ove servantur;
Quippe, patrocinari cui conantur, Patronam venerantur.
Iustior tu PRVDENTI,
Quàm vt hoc pendere vectigal dedigneris,
Qui gregi tuo [g] *sydus* hoc propitium probas.
Quidni Patronam agnosceret,
Cujus ad tumulum suas apposuit [h] exuvias?
Inde virginis vel mortuæ societatem [i] discipulo sic inspirat,
Vt nusquam Genovefa, sine [k] Marcello comite.
Esse quæ cœperat in capite concordia, effluxit in membra;
Nam Parisienses inter, & S. Genovefæ Canonicos
Sic sancita pax,
Vt nullo huc usque periclitata sit dissidio,
Adeò firma sunt, quæ *prudentiâ*
Stabilivit PRVDENTIVS.

[a] Prudentius vocatur Beatus in vita sancti Marcelli.
[b] Vterque sepultus in cryptâ subterraneâ ad latus S. Genovefæ.
[c] Κεραυνός fulmen interpretatur.
[d] Prudentius & Ceraunus.
[e] Germanus & Lupus Episcopi.
[f] S. Genovefâ.
[g] Genovefa per sydus designata.
[h] Quasi pro tributo.
[i] Sancto Marcello successori.
[k] Non defertur capsa S. Genovefæ absque thecâ S. Marcelli.

S. CERAVNVS

Parisiensium Episcopus XXV. in eâdem olim cryptâ subterraneâ ad dexteram S. Genovefæ conditus, nunc in thecâ reclusus, asservatur.



QVAM bene ad Genovefam CERAVNVS jacet,
Quando [a] *syderibus* vicina sunt [b] *fulmina*.
Debuit hic urbis Regiæ Patronorum adcenseri choro,
Vt hostium arcendo furori,
Fulmen etiam numeraretur inter defensionis arma.
Hinc absiste pietatis osor,
Fulminatorem agit CERAVNVS,
Sine tonitru esse non potest:
Nam veritatis, quàm quietis amantior,
Quos precibus non flexit, voce terruit.
Felici successu:
Tanta fuit fœcunditas vocis,
Vt steriles animas parere coëgerit.
Miraculo simile;
Cervorum more paritur pius;
Veritatis obstetricante tonitru ad vitam educitur:
Nempe plures eripit Orco timor,
Quàm inferât cœlo felicitatis amor.
Quid CERAVNO post hæc accideret, nisi quod *fulmini*?
Desiit vivere, cum loqui:
Verùm in [c] *montem*, non in vallem cadit,
Scilicet *fulmina quærunt montes*;
Nec aliter mori posset:
Quî enim, [d] aquis undequaque interceptus,
Flammam concepisset?
In cinere, non in [e] *luto*, debet ignis emori.

[a] S. Genovefa per sydus designata.
[b] κεραυνὸς interpretatur fulmen.

[c] Sepelitur in monte, & templo S. Genovefæ.

[d] Insula, ubi domus Episcopalis est.
[e] Lutetia dicta, quia lutosa.

S. CLOTILDIS

Galliæ Regina, uxor Clodovæi, ad cujus corpus sepulta, postmodum in capsâ argenteâ recondita in alto conspicitur.



VNO sæpe conjugii nexu
Exulant bella, sociantur imperia, fœderantur Reges:
Quid[a] CLOTILDIS, & Clodovæi nuptiis? — [a] Chrotildis vocatur à multis.
Conciliantur vel astra, devincitur Deus;
Tunc enim amicum[b] Regno Numen, cum CLOTILDIS Clodovæo. — [b] Galliæ.
Actum est, ô Gallia, è sordibus caput exere,
Exue gentilitatis umbras, novum adverte sydus:
In tenebris exortum est lumen.
En *Lunâ*, sed deliquio carens;
Luna, inquam, sed quæ Solem parit.
Prodigio simile: Sponsum[c] peperit uxor, — [c] Clotildis hortatu Clodovæus fit Christianus.
Et, quem acceperat conjugem CLOTILDIS,
Christianitati genuit[d] Solem: — [d] Clodovæus fidei facem toti regno præfert.
Plùs facit; tot Clodovæo fratres adoptat,
Quot numerabat subditos:
Nimirum, quæ unum, throno vix supparem, genuerat filium,
Totum Clodovæi regnum CHRISTO parturivit.
Qualis hymenæus, quo, in[e] populo mortis, æterna seminatur vita! — [e] Paganos populum mortis vocat Tertul.
Post stupendum hoc puerperium, diu Regina vivere non potuit:
Fallor: æterno maturam Regno, puduit hîc diutiùs regnare:
Et quæ Deum, & Regem habuerat sponsos,
Piaculare credidit, Rege mortuo,
Ad CHRISTI thalamum non reverti.
Pretiosa corporis lipsana excepere Parisienses,
Quæ, argento inclusa, ad Genovefæ tumulum evexere:
Quidni?
Ab ipsis decuit CLOTILDEM in cœlum subvehi,
Ad quos[f] cœlum devexerat. — [f] Fidei ministerio.

B. CLOTILDIS

Clodovæi, & S. Clotildis filia, uxor Amalarici Vuisigothorum Regis, cujus corpus ad sepulchrum parentum delatum, in Apostolorum basilicâ sepultum est.



QVID impietati cum innocentiâ, quid Arianò cum Christianâ,
Quid Amalarico cum CLOTILDE?
Vno verbo, *quæ* [a] *societas luci ad tenebras?*
Transilit Pyrenæos montes [b] sagax venatrix, vt [c] feram captet,
Amoris blanditiis ad insidias utitur, veritatem pro telo mittit,
Sed frustra:
Imò resiliunt in vibrantem [d] ictus;
Et, diro spectaculo, non *lux tenebras*, sed *tenebræ lucem* fugant,
Adeò verum est errorem in mundo dominari, veritatem ancillari.
Hinc Amalaricus CLOTILDEM despicit conjugem, quia legem;
Et Regem hæc odit, quia Religionem.
Truculentior inde Rex: in tyranum, in carnificem efferatur;
Et, quam sponsam acceperat, martyrem facit:
Nam, cui fidem non potuerat minis,
Sanguinem verberibus eripit:
Quid in hostem faceret Scytha, si conjux hæc audet in conjugem?
Crudelitatem audiit [e] Childebertus;
Imò vidit expressam in [f] linteo.
Quid agat Frater, & Rex, quâ victimâ barbariem expiet?
Coactis undequaque copiis, totam devastat Hispaniam,
Ne scelere tanto minor litetur hostia.
Sed, proh dolor! hostium fletibus, suos miscere citò jubetur:
Nam, triumphi dum cogitat pompam,
Ad [g] CLOTILDIS cogitur exequias.
Verùm, luctu parcat Rex,
Qui enim mortuam efferre sororem putat, sanctam advehit:
Hinc benè properat ad Genovefæ tumulum,
Vt sancta sanctorum addatur numero,
Et iterum [h] *lux dividatur à tenebris.*

[a] *2. Cor. cap. 6.*
[b] Clotildis.
[c] Amalaricum, quem tentavit ad fidem convertere.
[d] Contumeliis & verberibus ob religionem hanc affecit. *Greg. Turon.*
[e] Galliæ Rex.
[f] Linteum suo sanguine tinctum mittit ad fratrem Galliæ Regem.
[g] Clotildis rediens cum fratre in Galliam, moritur, & in basilicâ Apostolorum ad parentes humatur.
[h] *Genes. cap. 1.*

CLODOVÆVS

Francorum Regum primus Christianus.
S. Genovefæ basilicam in honorem SS. Apostolorum fundavit & dotavit.



FELIX, cui militat cœlum:
Verùm has è cœlo suppetias expectat imprudens,
Quisquis Deum habet hostem;
Nec [a] Germanos sibi subderet CLODOVÆVS, nisi Deo subditus:
Hos solo Christianitatis debellat voto:
Nam, quos Ethnicus coluisset victores,
Hos Christianus spernit victos:
Gallos etiam sub suum, & CHRISTI jugum sic mittit,
Vt ambigas, an feliciùs Regis, an Dei partes egerit.
Tuam in CLODOVÆO felicitatem agnoscis Gallia?
Hoc monstrante viam, cœlum tenes.
Regibus olim ad CHRISTVM [b] sydera,
Nunc Reges populis *monstrant viam*:
Nempe jam [c] Sydus sunt,
Et Gentilitati naufragæ lumen præferunt:
Quam enim Dionysio nascentem fidem debent Galli,
Debent adultam CLODOVÆO.
Nimirum, qui per Dionysium in [d] tumulis colebaur Deus,
Per CLODOVÆVM superbis in ædibus coli cœpit.
Hinc [e] Basilicam Apostolorum tanquam pharum erigit
Montis in apice, medio in regno, regiâ in vrbe;
Vt, quibus extruxerat Romę templum Constantinus
In monte Vaticano,
His Lutetiæ CLODOVÆVS extruit in monte [f] *Locutitio*.
Sed CLODOVÆVS in hoc Constantino felicior,
Quòd hujus imperium deprædatus est [g] Infidelium furor,
Illius [h] Christianissimum dicatur, & sit.

[a] Christianam vovens religionem vincit Germanos.

[b] *Mat. cap.* 2.

[c] Clodovæus fidem promovet.

[d] In locis subterraneis.

[e] Ad suum palatium templum Petri & Pauli, quod nunc S. Genovefæ, extruit.

[f] Mons S. Genovefæ vocatus est mons Locutitius. *Abalardus. ep.* 1.

[g] Saracenorum, & Turcarum.

[h] Christianissimi titulo gaudet regnum Galliæ.

DAGOBERTVS

Clotarii II. filius, ob pietatem in Genovefam Canonicorum auxit redditus.



NON ſolus amor cæcus eſt, cæcutit & furor :
In hoc amore ferocior, quòd in ſe ſævit.
En [a] Pater in Filio, ſanguinem ſuum iratus non agnoſcit;
Imò agnoſcit, ſed ut effundat :
Nam ſanguine totus ebulliens,
Quaſi aliud non eſſet ſanando furori remedium,
Per filii viſcera ſanguini quærit viam.
Quò fugiat inermis filius ?
Ad Regem ? ad Patrem ?
Vterque in uno metuitur ;
Nam Regem in Patre, Patrem in Rege videt,
Et ſi Patris, nunquam Regis, effugiet manus.
Tandem, ne victima Clotario fiat, victima fit [b] Deo :
In Capellam irruit [c] Genovefæ conſtructam curâ,
Et aris advolutus, Deo ſe mancipat.
En iterum *columba* templum ſubit.
Sed ipſi nil timeas : non hanc Dei [d] *flagellum* abiget ;
A [e] *flagello* proteget Deus.
Fruſtra quippe ſatelles, fruſtra Pater, fruſtra Rex, foris debacchatur :
Vndequaque *ſecurus ab hoſte* DAGOBERTVS,
Clotarii ſpernit furorem.
Nil mirum, alieno in regno vis omnis hebeſcit.
Prodigii tanti ſpectator DAGOBERTVS,
Beneficia beneficiis ulciſcitur ;
[f] Templum Deo magnificum extruit,
Et Genovefæ beneficii conſcius, Canonicis [g] *Drauetum* legat ;
Vt in cujus [h] hoſpitio vitam ſervaverat,
Etiam poſt mortem ejus immemor non eſſet.

[a] Clotarii patris iram fugiens Dagobertus, in capellam S. Dionyſii apud Catulliacum aufugit.

[b] Procidens ante aram S. Dionyſii.

[c] In pago Catulliaco ſuper ſepulchrum ſancti Dionyſii

[d] Chriſtus flagello expulit de templo vendentes columbas. *Matth.* 21.

[e] ab irato patre.

[f] S. Dionyſii baſilicam extruit Dagobertus.

[g] Villam vulgò Dravet ſeu Chatouſel.

[h] ſc. Genovefæ.

HVGO CAPETVS.

Quæ fuerant olim ſacerdotum Idolorum jura, eadem permiſit Clericis S. Genovefæ, quæ ſervaturum juramento ſe adſtrinxit ad altare.



PRÆSIT ſubditis, qui Deo ſubeſt,
Nam ſolus mortalibus imperare dignus, qui Deo ſubditus.
Hinc in ſolium deſcendit CAPETVS,
Quia priùs ad Deum aſcenderat,
Et coluit hunc populus, quia ipſe Deum.
A [a] Majoribus poſſeſſa turpi lucro beneficia,
Quæſtuoſiori fœnore [b] permiſit Eccleſiæ:
Tunc enim agnitus eſt Eccleſiæ Filius,
Cùm ejus ſe negavit hæredem;
Et in [c] *primogenitum* adſcitus eſt,
Cùm ejus bonis ſe abdicavit.
Majora loquor:
[d] Parens Eccleſiæ factus eſt, cùm Filius,
Et nuſquàm verior Pater, quàm cùm verus Filius:
Hinc piis exutus ſpoliis, pios induit;
Sanctis templa, ſanctos templis reſtituit:
Hinc & aras inter, & Clericos,
[e] Genovefeæ Canonicæ ſervaturum immunitates, & jura jurat:
Prudens ſanè, qui [f] Petri ſub auſpiciis ſtabiliendo regno laborat,
Vt in hâc *petrâ* ſceptrum firmetur:
Nec capitale CAPETO eſt graſſari in thronum,
Ad quem Dei, & [g] hominum ſubvectus eſt manu.
Nam tanti eſt *ſeruire Deo*, ut *regnare* ſit:
Imò, tanti Eccleſiæ tueri jus, ut coronâ [h] compenſetur.
Nempe, quo pereunte, peribit,
Hoc ſtante virebit,
[i] Stirps Regia.

[a] Hugonis anteceſſores beneficia quaſi prædia poſſeſſere.
[b] Dignos aris præfecit miniſtros.
[c] Rex Galliæ Eccleſiæ primogenitus dicitur.
[d] Hæredem adjudicans.
[e] Super aram Apoſtolorum ſervaturum immunitates Clericorum jure-jurando ſe adſtrinxit.
[f] Super altare SS. Petri & Pauli.
[g] Communi conſenſu procerum & populi electus eſt Galliæ Rex.
[h] Hac arte regnum Pipinus adeptus eſt.
[i] Ab ipſo deſcendit ſtirps Borbonia.

ROBERTVS

Canonicis Ecclesiæ S. Genovefæ privilegia multa concessit, aureum altare obtulit, claustra erexit, &c.



IMPERATORIÆ, Pontificiam dignitatem junxere prisci Cæsares,
Ne fortè sine religione sola regnaret ambitio:
Eadem, nec eadem animat ROBERTVM ambitio;
Quippe, quam in aliis peperit vitium,
Hanc in illo pietas insevit.
Solii vix memor, ita jugiter mancipatus est aris,
Vt Clericis usus in Proceres,
[a]Aulam Dei prætulerit suæ;
Imò curiam in templum invexit,
Aulicosque, quod mireris, virtutis fecit ascetas.
Nec satis:
In templorum usus opes impendit,
Quia piaculare credidit
Regem, donis [b] ***vacuum***, vacare Deo.
Aureum altare Divæ Genovefæ erexit,
Claustra construxit,
Iura Canonicorum auxit.
Quid plura? Vt regia daret, [c] seipsum dedit;
Nimirum, ut *Cælo sua munera redderet*,
Totus Deo impensus est.
Ita sceptrum regale floret in [d] Cantoris baculum,
Et, purpurâ conspicuus, Chorum Rex moderatur.
[e]Componit, quod cantet, cantat, quod composuit Regius Cantor,
Vt canticum discat æternùm cantare.
An vile reputes, quod pietas suadet;
An parvi-pendas, quod Rex magni-facit?

[a] In Sandionysianâ Basilicâ frequens erat.

[b] Non apparebis in conspectu meo vacuus. *Exod. cap. 23.*

[c] Templorum in usus se, suaque impendebat.

[d] Cantoris cum baculo sæpè visus est chorum regere.

[e] Hymnos Ecclesiasticicos ac prosas metricè composuit.

LVDOVICVS VII.

Novam Clericorum coloniam in Basilicam S. Genovefæ invexit, annuente Eugenio III. summo Pontifice, agentibus S. Bernardo, & Sugerio Abbate S. Dionysii.



NON Deo vivit semper, quicumque de Deo vivit,
Nec sanctus omnis, qui Deo sacer;
Quia sanctitatem consecratio sine Religione non sancit.
[a] Sylvescebat nullo cultore *vinea* Domini;
Quam colere debuerant Clerici, depascebant:
Sed sibi, non Deo viventes,
Nec sibi, nec Deo vivendi locum [b] hîc invenere,
Et qui priùs Dei domestici, domo caruere.
Causam quæris?
Regia majestas vel pugno læsa est:
Summi Pontificis temerata sanctitas:
Templi violata religio.
Si coronæ Regum, si thiaræ Pontificum,
Si aris Dei non parcunt,
Cui parcent?
Sed, non parcentibus, non parcitur, ut Deo parcatur,
Adeò periculosum est potentes lædere, vel optimos.
Canonicis [c] Canonicos Rex sufficit,
Aliisque Domini *vineam locat agricolis.*
In hoc non [d] *junior*, quòd antiquâ pietate novos induxit:
In hoc Rex [e] *Christianissimus*,
Quòd subditis præesse noluit, qui Deo obstarent:
In hoc [f] *primogenitus Ecclesiæ* Filius,
Quòd Pontificem, ut Patrem agnoverit,
Extorrem exceperit, læsum vindicaverit.
Plus dico: vestrum in ipso (CANONICI) intuemini Parentem,
Qui Patres vestros Canonicæ vestræ peperit.
Si Reges vestri Parentes,
Certè vestrum est [g] *regale sacerdotium*.

[a] Nota satis apud authores Gallos historia.

[b] In S. Genovefæ Canonicâ.

[c] In Basilicam Sanctæ Genovefæ duodecim Canonicos accersivit Ludovicus ex familiâ S. Victoris, ad Lutetiam.

[d] Ludovicus septimus vocatus est junior.

[e] Rex Galliæ, Christianissimi, [f] & primogeniti Ecclesiæ filii titulo gaudet.

[g] 1 Petri.

H

S. LVDOVICVS

Canonicis Ecclesiæ S. Genovefæ concessa prædia ab omni servitutis onere vindicavit.



REGES, quia Reges, vix sancti:
Cœlesti sæpè arcentur regno,
Quia terrestri plùs æquò addicti:
Regis dignitas LVDOVICO non obfuit;
Sanctus fuit, quia Rex:
Et cœlesti exclusus regno non est,
Quia suo non inclusus.
Hinc regno major, terras emensus, & maria,
Dum Saracenos oppugnat, expugnat cœlum;
Vt discas ad expugnationem empyrei,
Vel [a] *liliis laborandum esse.*
Spineum CHRISTI Diadema,
Quod per bella quæsierat apud profanos,
A [b] Christianis pacificus recipere meruit:
[c] Duplici posthac redimitus coronâ;
Sed auream præmisit in astra,
Spineam sibi servavit in terris.
Sub hac, & sentes inter gemmavit, ut rosa;
Imò *sicut* [d] *lilium inter spinas;*
Donec flos, jamdiu cœlum spirans,
Et manente apud nos [e] *spinâ*, & [f] *Spineto* haud sterili,
(Nam ex *spinis* collegimus uvas)
Augustiùs cœlestem in hortum translatus est,
Vbi *spinis* exutus æternùm floret.

[a] Ad stemma Galliæ hæc ponitur inscriptio, non laborant neque nent. *Luc. cap.* 12.
[b] A Balduino consanguineo accepit coronam spineam Christi Domini, quam in sacrâ palatii sui capellâ servandam deposuit.
[c] aureâ, & spineâ.
[d] Galliæ stemma.
[e] Apud S. Capellam.
[f] Prædia apud Spinetum vulgò Epinay, Canonicis Sangenovefæis concessit.

LVDOVICVS XIII.

Canonicos Ecclesiæ S. Genovefæ, agente Cardinale Rupifucaldo, in meliorem vitæ formam asseruit, anno 1624.



SVB [a] Lance natus ponderare cuncta sic novit
Ad Iustitiæ stateram,
Vt nescias, an à sydere, an à virtute
[b] *Iusti* traxerit cognomen.
Sed nec sanctuarii pondus hunc fefellit;
Nam religioni tam addictus veræ, quàm infensus fucatæ,
Vineam Domini [c] Majorum hîc consitam manu,
Vlteriùs [d] sylvescere non tulit:
Adductis huc probatæ virtutis [e] colonis,
Sterilitatis probrum abolevit;
Vt, novo germine, novos hæc Canonica gemmaret in flores,
Et, sub sydere novo, *renovaretur facies terræ.*
Sed ne plus justò *Iustus* esset,
Si sola juberet authoritas regia;
Vsus est, non suâ, sed Rupifucaldi sancti Cardinalis Purpurâ:
Purpurâ, vt ipsius sub umbrâ
Tutiùs, & augustiùs pietas adolesceret;
Cardinale, fidei immoto Cardine;
Sancto, ut sancta restitueret, sanctos institueret;
Rupifucaldo, ut collabentis [f] Ordinis *rupes* esset, & *fulcrum.*
Ita LVDOVICVS XIII. Ludovici VII. ut regni, sic pietatis hæres,
Novam Clericorum [g] hanc in Basilicam coloniam invexit:
Vterque felici consilio, sed non eventu pari;
Nam pereunte primâ, floret altera,
Quam, ne suspiceris perituram,
Inconcussâ stabilivit [h] *rupe.*

[a] Mense Septembri, sub signo Libræ.

[b] Ludovicus XIII. Iusti sortitus est cognomen.

[c] Clerici à Clodovæo fundatore instituti.

[d] Vitam laxiorem sequebantur.

[e] Ad eorum reformationem.

[f] Ordinis Canonici.

[g] S. Genovefæ.

[h] Cardinale Rupifucaldo.

LVDOVICVS XIV.

A Ludovico Iusto concessa Ecclesiæ S. Genovefæ jura novo diplomate confirmavit.



SISTIMVR ô tandem tibi felicitatis assertor LVDOVICE,
Qui [a] Pacem Galliæ, pacem Europæ, pacem Aris advehis,
[b] Et diplomate novo nostra firmas jura.
Pereant Arma, per quæ tot periere,
Absumantur flammis, quæ tot absumpsere:
Arcum contere, arma confringe, igni scuta combure.
[c] Divinum hoc debebat mortalibus,
[d] *Iusti* Filius; LVDOVICVS, [e] *A-deo-datus.*
Quippe tanta nomina nusquam sine omine:
Quid enim in LVDOVICO decimo-quarto,
Nisi omnes intueor Ludovicos,
Cùm omnes omnium spirent in illo virtutes?
Nec fallor:
Ideo viginti plus annis parturivit hunc genitor,
Vt omnes in ipso pareret, & imprimeret Ludovicos:
Plus fecit Pater:
Vt tantum haberet Filium, cum empyreo nexuit commercia:
Nam, dum pius Parens Iustum in se Regem Deo consecrat,
E cœlo *A-deo-datum* recipit:
Sic LVDOVICVS [f] Sole à Virgine in Libram vergente nascitur,
Quasi Iustitiæ, & Castitatis partus.
Inde quid mirum, si ab *A-deo-dato* pax datur,
Quæ non datur, nisi à [g] Deo detur?
Iustum fuit, ut *Iusti* Filius, *Iustum* omnibus se approbet:
Iustùm, ut [h] Augustus alter Martem extinguat:
Iustum, ut [i] *pace, terrâ, marique partâ,*
Iano fores æternùm occludat,
Vt *A-deo-datus Deo* tandem *reddatur.*

[a] Pax sancita cum Hispanis anno 1660.
[b] Quæ jura permiserat Canonicis S. Genovefæ Ludovicus XIII. hæc confirmavit Ludovicus XIV.
[c] Pacem.
[d] Ludovicus XIII. Iustus dictus.
[e] Ludovicus XIV. dictus Adeodatus.
[f] Natus die 5. Septembris anno 1638.
[g] Omnis pax à Deo. *Ad Tim.* 3.
[h] Sub Augusto Cæsare totus orbis in pace compositus; ita sub Ludovico XIV.
[i] Hæc inscriptio habetur in numismate antiquo.

ERMOGALDVS.

Habetur vir magnus in necrologio S. Genovefæ, & munificus Canonicorum benefactor.



VICTORIARVM distentus aurâ Normannus,
Cuncta sic populabatur, ut nec templis parceret:
Quæ omnium sunt azylum, azylo eguere;
Vel in ossa Sanctorum debacchatus est furor bellicus;
Insigni documento sanctos esse mundo extraneos,
Vbi nec vivis, nec mortuis parcitur.
Ita tibi [a] fugiendum est Genovefa,
Vt, quam omnes patronam agnoscunt,
Ipsa tibi Patronum quæras:
At fuge, fuge, populoque fugienti jungere:
Ne, non fugiendo, populum deseras.
Potuisti, dehiscente terrâ, vivos hostes obruere,
Sed, majore miraculo, abstitis à miraculo;
Ne, si non profuga, fugienti CHRISTO sis absimilis:
Quippe, quę noveras Deum proscripsisse Filium, ne Herodem perderet,
Hostes vincere maluisti recedendo, quàm cædendo:
Sed quò fugiat innocens [b] *columba*, cui non in [c] *arcâ* securitas.
Suo nec *tuta sub tecto*.
[d] *Vbi requiesceret*, te præter [e] ERMOGALDE, vix habuit,
Qui sacras ejus exuvias [f] *Marisiaci* recipis.
Felix ager, qui tanto ditescit pignore!
In bello sanè, quàm in pace, feracior:
Quis & tu, qui Patronæ patrocinaris?
Longè ditior prædium dando, quàm alii prædando,
Qui Genovefam suo jam *sub tecto tutam* facis.
Verùm, si tunc felix, quia Genovefæ hospes,
Quantò nunc felicior Genovefæ contubernalis.

[a] Agrum Parisiensem vastantibus Normannis capsa S. Genovefæ delata est Marisiacum, vulgò Marisy.

[b] Genovefa.
[c] in capsâ.

[d] *Genes. cap.* 10.
[e] Ermogaldus princeps villam [f] Marisiacum Canonicis S. Genovofæ legavit.

PETRVS ABAELARDVS.

In S. Genovefæ ſcholâ docuit magnâ ſui nominis famâ,
magnoque ſcholarium undecumque concurſu.



NAVIS jactata procellis,
Quid niſi ſortis adverſæ ſimulacrum?
Fluctus hinc, inde ſcopuli,
A cœlo fulgura, imbres ab aëre, undequàque venti,
Verè pilam exhibent in elementorum ludum.
Haud alius fuit ABAELARDVS:
Ab urbibus ad pagos, à plebe ad principes,
A Principibus ad Epiſcopos, ab Epiſcopis ad Pontificem,
A Pontifice ad Concilium depulſus eſt.
Quid plura: in ludum Galliæ ſic datus eſt,
Vt verè dixerit,
[a] *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.*
Tempeſtate ſic jactatus, Lutetiam venit,
Sed infelici conſilio;
Vbi enim periclitaretur certiùs, quam in [b] *navi?*
Diſcrimen ut advertit, ad montem [c] hunc, quaſi ad rupem, appulit,
Vt irarum, & minarum *fluctus* aut elideret, aut eluderet;
Et, ut hoſpitibus haberet gratiam,
Effuſam ſcientiæ meſſem ſponte protulit.
Feliciter, nam ad ipſum vel totus [d] confluxit orbis;
Vt pretium fuerit hunc habuiſſe.
Verùm [e] livor, qui *ſumma petit*, ejus ſic criminatur fidem,
Vt hinc citiùs jure, an injuriâ coactus ſit exulare;
Adeò intutum eſt vel doctrinâ eminere.
Profugus quid ageret vir tantæ famæ jam infamis?
Ex Laïco in [f] Canonicum, ex Canonico in [g] Monachum migrat:
Vtinam, quod reor, ex Monacho in ſanctum;
Vt tot tempeſtatibus actus,
[h] Ad certum tandem felicitatis portum appulerit.

[a] In ſuâ Apologiâ.
[b] Navis ſtemma Pariſiorum.
[c] S. Genovefæ.
[d] Multi ſcholares, maximè Romani, ad eum confluebant.
[e] Lucanus.
[f] Canonicus fuit Eccleſiæ Senonenſis,
[g] & Monachus S. Dionyſii ad Lutetiam.
[h] Moritur anno 1142. ætatis ſuæ 63.

HILGOTVS

Canonicus Ecclesiæ Sanctæ Genovefæ, Episcopus Suessionensis.
Sæculi fastidio clarus, abjectis præsulum insignibus.



O chara, claraque *solitudo*,
Quot mortales, ereptos mundo, in sinum æternitatis exoneras!
Magnus sanè Magnates inter futurus erat HILGOTVS;
[a] *Nobilitati* ancillabatur *felicitas*, *felicitati* divitiæ:
Sed aulam, levem auram expertus,
Aulæ levitatem dedignatus est,
Et omnia abdicavit, ut pietati se dicaret.
Volucrum more, [b] *solitudinis* æquè, ac [c] montium fuit incola,
Vt, passim non vagando, vacaret impensiùs Deo.
Didicerat Testudinis artem,
Quâ se in suum colligens tegmen,
Ictus ad omnes tuta stat, & secura.
Inde [d] collem hunc scandit, ut eminùs mundum exploret,
Solumque soli Deo se approbet.
Verùm: quò fugis imprudens?
Vbi nempe virtus tenebras nescit:
Quasi verò, vel volentem, mons ipse te non prodat.
Ita, suis dum obscurus est in oculis, alienis sic emicat,
Vt ad Ecclesiæ [e] Suessionensis trahatur insignia;
Vbi in hoc uno cum pietate rixatus est,
Quòd suis è tenebris proscriptus sit.
Splendorem tantum non tulit HILGOTVS;
Nam, quasi minantem audiret Deum, quòd emineret,
In virtutem sic excanduit,
Vt [f] *elongaverit fugiens, & manserit in solitudine.*
Noluit enim alienis huc usque operatus victimis,
De alieno dumtaxat pius esse.
Tot hostias ideo fecit, ut ipse semel hostia Deo caderet.

[a] Ivo Carnotensis Episcopus ad Paschalem II. de illo sic ait, vir tantæ nobilitatis, tantæque felicitatis, *&c.*
[b] In majori Monasterio ad Turones.
[c] In monte S. Genovefæ.
[d] S. Genovefæ, ubi Clericorum institutum amplexus est.
[e] Ad sedem Suessionensem evectus est omnium applausu anno 1090.
[f] Abjectâ Episcopali dignitate, in solitudinem aufugit.

GREGORIVS

Canonicus Ecclesiæ Sanctæ Genovefæ, S. R. E. Cardinalis, ab Eugenio III. summo Pontifice legatione functus est in Germaniam.



VESTIBVS non priùs, quàm mente candidatus
Candorem[a] Ordinis suo collustravit;
Vtque *emineret*, in [b] montem ascendit.
Lateretne GREGORIVS Lutetiâ altior totâ?
[c] *Lampasne tegeretur supra montem posita?*
In tantam excrevit lucem, ut undequaque fulserit;
Imò: in tantum exarsit ardorem,
Vt vel nivea vestis in [d] *rubeam* cesserit;
Nam, quò plùs fulgeret color hic niveus,
Hunc purpuræ suæ Pontifex admiscuit;
Vt [e] Purpuratis Clericis [f] Candidatum adjungens,
Nitentiorem Ecclesiam CHRISTO sponso exhiberet.
Romam accitus, [g] Germaniam adlegatur,
Vt ex legi Clero legem poneret.
Fortè dixeris hâc sanguineâ veste trabeatum,
Ignem spirare, aut bellum,
Indocilemque Alemanniam Pontificio fulmine opprimendam:
Erras: in GREGORIO Cardinale *columbam* aspice
[h] *Oliva ramum ore portantem;*
Non, quæ *pacem* tantùm nunciet, sed sanciat:
Nempe [i] *gravitate* plusquam humanâ,
Maturitate propè divinâ,
Cœlum propitiat, [k] Imperatorem placat,
Præsules Clero, populos Ecclesiæ, se omnibus sic sociat,
Vt aliis pariendo *pacem* vel temporalem,
Sibi pariat vel æternam.
Non fallor:
[l] *Suos* enim *fines* moriendo *posuit pacem*.

[a] Canonici, cujus alba vestis.
[b] Fit Canonicus in monte S. Genovefæ.
[c] *Matth. cap.* 5.
[d] Romam accitus, Cardinalis fit ab Eugenio III. S. P.
[e] Cardinalibus.
[f] Gregorium Canonicum.
[g] In Germaniam cum Bernardo Cardinale Canonico Lateranensi profectus Moguntinum Archiepiscopum dignitate destituit. *Ciaconius.*
[h] *Genes. cap.* 8.
[i] In legationis actibus dicitur maturitate, & gravitate insignis.
[k] Fridericum tertium.
[l] In Germaniâ moritur, pace inter Clerum compositâ, anno 1153.

ODO

Abbas Ecclesiæ Sanctæ Genovefæ ex Priore domus S. Victoris ad Lutetiam, qui Philippum Augustum è sacro fonte levavit. Iacet cum Epitaphio in Abbatiâ S. Victoris.



VIRGINITATIS, & martyrii quàm felix hymenæus!
Gratior nulla Deo victima.
Has nuptias celebrat ODO,
Qui [a] Martyrem sociat cum Virgine.
Quid reluctatur Mystes?
Sponsalibus his augetur, non adimitur, virginitas.
Causam agnosco:
Succutit onus, quia honor adnectitur,
Et [b] Pastoralem abnuit baculum, dum Deus non annuit:
Vbi jubentem per [c] Interpretem audit, obedit;
Cum aure consentit & manus.
Hâc instructus virgâ, templi diruta resarcit,
Luci reddit legem exhumatam, aras restituit aris,
Suisque imperando serviens, serviendo imperat.
Mori posthac non renuit ODO;
Imò, *perire vult, ne pereat.*
Inde pius *Phœnix* [d] lecto decumbit, in quo natus est:
Hîc odorato virtutum compositus in rogo,
Et obtutu pertinaci proprium defixus in Solem,
Totum se agitat [e] charitatis in flammas;
Ignem addit igni,
Et ardenti pectore ardentes sic provocat sui Solis radios,
Vt à cœlo totus ignescens, in se totus exæstuans,
Vndequàque exundante flammâ, tandem expiret.
Fallor: nunquam vixit veriùs,
Quia spiritum exhalando, transfudit in fœtum,
Et *pereundo* sibi, vixit suis.

[a] sc. domum S. Victoris cum domo S. Genovefæ.

[b] Abbatiam S. Genovefæ.

[c] S. Bernardum, cujus impulsu consensit, anno 1147.


[d] Ante mortem in domum S. Victoris reversus est.

[e] Quò in Deum amore vixerat, obiit Odo.

M

S. GVILELMVS

Canonicus Ecclesiæ Sanctæ Genovefæ, & Abbas in Daniâ.
Post mortem Sanctorum fastis adscriptus est.



AD sanctitatem natum decuit inter [a] Sanctos adolescere:
Nimirum; *Flos* in cœlum transferendus,
Inter aras gemmare debuit:
Debuit & Sangenovefæum in montem transmitti,
Vt suum hinc liberiùs, & propiùs intueretur Solem,
Et mutua *ad* ipsum esset *conversio ejus.*
Verùm, [b] incolarum vitio, penè attritus est;
Quem enim expellere vis non valuit, voluit opprimere:
Sed delusa impietas addidit Palestritæ decus;
Quippe, rosæ instar, nunquàm gratior, quàm inter spinas,
Nec suaviùs oluit, quàm cùm [c] attritus est.
Inde in Daniam usque diffusus tantæ sanctitatis odor
Post se citò [d] *Florem* attraxit,
Vt mirum fuerit *Florem* suum secutum odorem.
Hujus inter regni nives, & frigora *Flos* emarcuisset,
Nisi suum semper secutus fuisset Solem.
Hîc in [e] Eschil quadraginta plus annis exlegem inter Clericum vixit,
Cujus cùm incurrit in mores, incurrit in odia:
Sed odio, quàm amore felicior,
Et ab alieno eruditus in suum,
Morientem cilicio carnem sic attrivit,
Vt nusquàm spiraverit fragrantiùs.
Odoratus est Deus;
Et, ne tam gratus corrumperetur *Flos*,
Suæ [f] Resurrectionis diem assignavit funeri,
Vt, temporis momento succisus,
Supernum citiùs transiret in hortum,
In quo perennis *ad* ipsum esset *conversio.*

[a] In S. Germani Pratensis Monasterio educatus ab avunculo Abbate.

[b] A Canonicis odio habitus est.

[c] Plus olet flos attritus.

[d] Ab Episcopo Roschildensi vocatus est in Daniam.

[e] In Eschil insulâ Abbas constitutus est anno 1171.

[f] Moritur die Christo resurgenti sacrâ. Festum 6. Aprilis celebratur.

HENRICVS

Canonicus Ecclesiæ S. Genovefæ, Abbas S. Quintini Belvacensis, & Episcopus Sylvanectensis. Interfuit sacro Philippi Augusti.



HENRICVS telluri vix commissus,
In astra transmissus est.
[a] *Apodum* more, non priùs natus,
Quàm inter cœlites *conversatus;*
Quia virtuti suæ sic collactaneus fuit,
Vt ambigas, an eam ex institutione traxerit, an ex utero.
Aulæ dederat hunc nobilitas, pietas abstulit;
Ne, aulico raptus vento,
Aulæ levitatem lapsu comprobaret:
Maluit superno se permittere [b] Spiritui,
Vt illuc transferretur, unde fortunam eluderet.
Ad cœlum properanti, per montium apices iter fuit:
Inde collem [c] S. Genovefæ, velut Numini viciniorem, conscendit:
Vbi Dei transiturus in sortem, Clericum induit.
Votorum compos erat, si diu vixisset sibi;
Sed, ne nimium esset sui, aliorum esse jussit Deus:
In Patrem, & [d] Abbatem, mox in Pastorem, & Episcopum dedit,
Quasi vellet hac compede fugitivum irretire;
His cum insignibus virtutem auxit HENRICVS,
Ne diceres infulas officere veræ virtuti.
Ita, uno se gemente, factus Sylvanectensis Antistes,
Omnibus peperit hilaritatem,
Verùm hâc in [e] *sylvâ* veluti feras offendisset,
Aut quasi timeret, ne tot inter honores virtus sylvesceret,
Mortalium despexit commercium:
Cœlitum assuevit consortio, *conversatio in cœlis* fuit.
Quid superest inter Angelos conversanti,
Nisi inter homines esse desinere?
Desivit HENRICVS, quia jam Angelus esse cœperat.

[a] Apodes cœli quasi cives, quia plurimùm volant. *Plin. lib.* 10. *cap.* 39.

[b] Dicitur avis paridisiaca terrà non evehi, nisi vento rapta.

[c] Factus Canonicus Ecclesiæ S. Genovefæ.

[d] Abbas sancti Quintini Belvacensis & Episcopus Sylvanectensis an. 1176.

[e] Sylvanectum, vulgò *Senlis* dictum à sylvis quibus circumdatur.

STEPHANVS

Canonicus & Abbas Ecclesiæ Sanctæ Genovefæ,
pietate, & scientiâ illustris, Episcopus Tornacensis.
Ordinem Canonicum propagavit.



TANTI est *lucere*,
Vt Soli olim fuerit satis ad [a] Divinitatem:
Adoratores penè tot habuit, quot inspectores.
STEPHANVS, hebetiori natus in sæculo, *Sol* novus *illuxit*,
Eò illustrior, quò spissiores hunc obsedere tenebræ;
Quippe crassiore in nebulâ splendidior lux emicat.
[b] *Aurelianensi* in urbe, tanquam in Oriente, paruit,
Vbi splendore tanto fulsit,
Vt deductis huc, & illuc filiorum coloniis,
Orbem lustraverit, & illustraverit.
Inde montem [c] hunc, tamque Medium scandens Diem,
Et Abbatiæ decoratus insignibus,
In tantum profecit ardorem,
Vt fecerit, quod sol non potuit;
Citra proprii detrimentum luminis,
Plures *orbi* peperit [d] Soles.
Verùm hîc, velut in cœlo constitutus,
Suisque *coronatus*, imò mundum [e] *coronans*, radiis,
Galliæ, & Hispaniæ, Italiæ, & Angliæ sic præfulsit,
Vt illuxerint verè *coruscationes ejus orbi terræ.*
Vnde omnibus suffecit *Solus?* quia [f] *Sol.*
[g] *Tornacum* denique, tanquam in Occidentem, vergens,
Vt occumberet, plus claruit:
Nusquàm enim *illuxit* magis, quàm infulatus,
Et major nusquam visus est, quàm, cùm [h] occidit.

[a] Persæ Solem adoravere. *Athenæus.*

[b] Natus ad Ligerim, in Abbatiâ sancti Evurtii Canonicus Abbas fuit.

[c] S. Genovefæ, ubi electus Abbas anno 1190.

[d] Discipulos, quibus ordinem Canonicum propagavit.

[e] στέφανος corona interpretatur.

[f] Sol dictus, quasi solus. *Cic. 2. de Nat. Deor.*

[g] Episcopus factus est Tornacensis, vulgò Tournay, anno 1191. *Vide ipsius Epist.* 182.

[h] Obiit anno 1203.

VALDEMARVS

Regis Daniæ Nepos, & Canonicus Ecclesiæ Sanctæ Genovefæ.



TERRESTREM in thronum natura VALDEMARVM effuderat,
Sed cœlesti genitum se præsentiens,
Abnuit esse super homines, ne esset subter homines:
Nam, longum iter à throno in cœlum ut advertit,
Inde descendit, ut illuc ascenderet.
Agnosce quâ viâ:
[a] Patria fuit exilium, donec exilium habuit patriam:
Inde huc, & illuc errabundo cervo similis erravit,
Ne erraret.
Et tandiu vagatus est,
Quandiu montem [b] hunc non offendit:
Quem, cùm arduum vidit, sanctitatis semitam agnovit:
Cùm probavit sanctum, incoluit.
Non satis;
Sacræ militiæ [c] authoratus,
Pietatem cum nobilitate junxit eâ felicitate,
Vt incertum fecerit,
An illi plus splendoris contulerit virtus, an ipse virtuti;
Adeo illustris est virtus in stirpe regiâ;
Vt cui, in plebeio, sufficit splendor innatus,
In Principe, novo fulgeat ornamento.
Hac, quâ pietate vixit, VALDEMARVS devixit;
Cujus cineribus tumulus deesse non potuit,
Qui Basilicam hanc virtutibus illustravit.
Ejus *exuviis hæc urna* fuit.
Sed nec mortuo cœlum defuit,
Qui illud, quantùm potuit, vivens attigit.


[a] Daniam reliquit, ut Galliam incoleret.

[b] S. Genovefæ.

[c] Canonicorum amplexus est institutum.

PETRVS

Canonicus Ecclesiæ S. Genovefæ, Episcopus Roskildensis, & regni Daniæ Cancellarius.



HVc oculos, spectator, in [a] Daniæ Gentilitium stemma;
Sparsam hîc vides *cordium* semine parmæ aream:
Hîc & *Leopardum* triplicem,
Vel in effigie *sævitiam* spirantem, vides.
Quid, cum bello, pacis quid, cum humanitate, crudelitati?
Causam quæris?
PETRVM exhibent Daniæ CANCELLARIVM.
Sævit, & ignoscit.
At, [b] cùm *sævit*, aut cùm parcit, ex æquò bonus.
Artem hanc ediscenti
Mons [c] Genovefæus schola fuit, & palæstra,
Vbi in seipsum *sæviendo* crudeliùs,
In alios *sæviendi* didicit modum,
Et sibi non *ignoscendo*, aliis edoctus est *ignoscere*.
Sagaci consilio:
Ne justitiæ cancellos excederet Cancellarius,
Canonum leges didicit Canonicus;
Et, ne unquàm ab humanitate deerraret,
Charitatis sub legibus adolevit.
Nam [d] Augustini, cor manu gestantis, secutus est [e] vexillum;
In quod unum sic defixus est,
Vt nec in Daniam remeans deflexerit oculos:
Inde non mirum est,
Si, suo posthac defungens Cancellarii munere,
Semper [f] *corda* sigillaverit.
Licet hunc intueri sigillum hoc tenentem dexterâ,
Vt hinc discas, quæ PETRI sit Icon:
Nam, citra veritatis detrimentum potes asserere;
Sævit, & ignoscit.

[a] Dannemarck. D'or semé de cœurs de gueules, à trois lyons leopardez d'azur, couronnez d'or, passans sur le tout.

[b] *Seneca trag.*

[c] Canonicus hujus Ecclesiæ sub Abbate Stephano, qui multa de illo scribit in Epistolis.

[d] Pingitur Augustinus cor dexterâ gerens.

[e] Canonicam disciplinam.

[f] Stemma regni Daniæ.

S. ALBERTVS

Canonicus Ambianensis, subinde Ecclesiæ S. Genovefæ, demum Patriarcha Hierosolymitanus.



ALBERTVM dixeris *Aquilam*, non erraveris;
Diu à cœlo abesse non potuit,
Nam Ambiani vix natus, hoc ambire didicit,
Et ambitum non simulans,
Vt mente, sic [a] veste [b] candidatus incessit.
Non erubuit;
Imò, ne tegeretur, [c] S. Genovefæ conscendit apicem,
Adeo non omnis ambitio mala.
Ab *alto*, eminentique loco eruditus in *altiorem*,
Subjectum despicere cœpit orbem:
Hinc ab Occidente bis in Orientem profectus,
Habuit orbem veluti pilam,
Quâ luderet, & quam luderet.
Nam terram non novit, nisi quam calcavit,
Non quæsivit, nisi [d] sanctam.
[e] Præsulum infulis ornari potuit, irretiri non potuit.
Imò, illaqueari nesciens, ipsas deprædatus est:
Quia ad *altiora* natus, *altiora quæsivit*.
Fallor: nunquam profundiùs terram penetravit,
Qui [f] Dominico in sepulchro, verè [g] CHRISTO *consepultus* delituit.
Quid refert unde cœlum petat?
Vbique felicitatis portum invenit?
Ne dicas tamen hoc in tumulo mortuum,
Vbi mortui resurgunt.
Sanctus non obit, qui primum vitæ diem à postremo numerat.
[h] Oritur, cùm moritur.
Ideo fortè in Occidente natus, in Oriente mori voluit ALBERTVS,
Quia mors, quæ aliorum occasus est, ipsius fuit ortus;
Vt sic moriendo, oriens, æternùm *altiora quæreret*.

[a] Alba vestis; Canonicorum indumentum.
[b] Romani consulatum ambiebant candidati.
[c] Vbi vixit aliquandiu Clericus inter Clericos. *Thomas Saracenus in Menol. Carmel.*
[d] Loca sancta, Italiam, & Iudæam.
[e] In itinere dignitates à Pontifice oblatas renuit.
[f] Diu in sepulchro Christi Domini mansit.
[g] *Rom. cap. 6.*
[h] Mors sanctorum, dies natalis celebratur.

STANDO

Canonicorum Eccleſiæ S. Genoveſæ famulitio mancipatus,
doctor Pariſienſis egregius evaſit.
Collegium Montis-Acuti ex parte fundavit.



HIC & tua laus digne STANDO,
Qui ad [a] Lunam ſtando Sole lucidior fulges.
Quis hunc jacentem erexit, ſtantem evexit,
Evectum ſuſtulit?
Proſapia nulla, opes nullæ, favor nullus.
Quaſi verò ſola hæc mortales plebis è fæce eximant:
Ingenii claritate, nominis obſcuritatem illuſtravit;
Virtutum ſplendore natalium ultus eſt tenebras;
Paupertatis fœnore Magnatum æquavit opes,
Vt diſcas maxima ex minimo creſcere:
Vt enim natura florem è fimo,
Ita Deus *de ſtercore elevat pauperem.*
Abegerat patriâ STANDONEM *paupertas*,
Abjecerat [b] imas ad ſordes.
Servitute quid fœdius, ſervo quis vilior?
Tamen, qui corpus laboribus obterebat interdiu,
Noctu mentem operoſis fœcundabat fœtibus:
Quæ prælucerer, facem non habenti, Luna ſuffecit;
Nam [c] turris ſummum ſcandens culmen,
Lumen ab ipsâ mutuabatur:
Imò, velut alter Prometheus, ſcientiam à cœlo ſurabatur.
Ita *veritate*, non *in* [d] *puteo*, ſed in turri repertâ,
Sæculum ornavit ſuum.
Minùs dicerem, niſi & hâc ingenii fœcunditate
Celebrem ſtudiorum erexiſſet, ac fundaſſet ſcholam;
Vt mirum eſſet *pauperem*
Tot alendis ſuffeciſſe [e] *Pauperibus*,
Niſi in *paupere* CHRISTVM agnoſceres.

[a] Noctu inſomnis in turri S. Genoveſæ ad Lunam ſtudebat.

[b] A Canonicis S. Genoveſæ exceptus eſt in ſervum.

[c] S. Genoveſæ.

[d] Proverbium à Diogene prolatum, in puteo veritas.

[e] Pauperes inſtituit Capetorum nomine an. circiter 1480.

BENIAMIN. DE BRICHANTEAV

Canonicus & Abbas Ecclesiæ sanctæ Genovefæ,
inde ad Laudunensem sedem evectus, brevi mortuus est.



QVÆRENTI Deum, turbæ valedicendum est;
Et terræ etiam quantùm licet.
Inde, cœlum cogitans [a] BRICHANTÆVS,
Obterendam credidit *Lutetiam;*
Nimirum, emersurus è diluvio sæculi,
Debuit vel è [b] *luto* pedem expedire:
Sed arte novâ naufragio ereptus est:
Non enim in Arcâ, non in [c] ***navi***,
Sed in [d] ***monte*** salvatus est,
Ne diceres unicam esse in salo salutem.
Hinc [e] sanctæ Genovefæ collem ascendit;
Hinc & [f] Laudunensis Ecclesiæ sublatus est in culmen,
In quo didicit, terris exempto,
Breviorem superesse in astra viam.
Quidni *montes operiret* BRICHANTÆVS,
Qui comatæ *arboris* instar,
[g] *Montes* hos infularum insignibus *obumbravit?*
Ab his tamen vix à Sole protectus,
Citò marcere coactus est.
Imò: præmaturâ fœcunditate sic elanguit,
Vt, vitam aliis producendo, [h] contraxerit suam.
Sed meritis addidit, quod annis abstulit:
Ita robur ætatis præcoci senectute opprimens, [i] oppressus est:
Credo, quòd jam cœli factus hospes, terras despexerit;
Vt, qui jam stabat inter nubes,
In astra tandem se inferret.

[a] Brichanteau Nangis. D'azur à six bezans d'argent 3. 2. & 1.
[b] Lutetiam à luto dictam opinantur.
[c] Lutetiâ.
[d] S. Genovefæ.
[e] Vbi Canonicorum institutum suscepit.
[f] Laudunum, vulgò *Laon*, in alto monte situm est.
[g] Genovefæum, & Laudunensem.
[h] Trigesimum-quartum vitæ annum non attigit Brichantæus.
[i] Anno 1619.

F. DE LA ROCHEFOVCAVLT

S. R. E. Cardinalis, Episcopus Claromontanus, & Sylvanectensis, Abbas S. Genovefæ.



NON conditur adeò sanctitatis splendor,
Vt vel corruptioris sæculi tenebris obruatur.
In FRANCISCI sinum confluxit omnis Ecclesiæ dignitas:
Ambigentibus multis,
An plus illi conferret Principum gratia, an Dei?
[a] Abbas fuit, [b] Episcopus fuit,
Major Franciæ Eleemosynarius, & Cardinalis fuit.
Et, licèt Gallus, penè summus [c] Pontifex.
Ad hos evectus gradus, expavit; & veritus casum, [d] descendit.
Quid in ima dejectus?
Cœpit aliorum esse *fulcrum:*
Hinc major, quia minor.
Omnibus enim *Rupem* sic se præbuit,
Vt lapis unus multis [e] Ordinum suffecerit ædificiis:
Nam ipsâ ex *rupe* hinc excisæ gemmæ, inde secta marmora,
Vndequàque eductum aurum in [f] Basilicarum decus.
Imò, *rupes* hæc [g] *aquarum in fontes* propemodùm *conversa est,*
Vt ipsam non temerè dixeris,
In Præsulum æquè [h] speculum cessisse, & in pauperum sitim.
Speculentur illi, in undarum lubrico, soliditatem,
Hi sentiant, in solido, prodigam ubertatem;
Vtrique detegant hâc in *rupe* FRANCISCI veram iconem.
Tanti Cardinalis non immemores S. Genovefæ Canonici;
Ejus cineribus perenne [i] Mausolæum erexere,
Vt ipsorum semper spiret in animis:
Et, quâ sustinente stetere, [k] *Rupes,*
Marmoreo inclusa tumulo, par æternitati vivat.

Rochefoucault. Burellé d'argent & d'azur à trois chevrons de gueules brochans sur le tout.

[a] Tornusii Cabilonensis.
[b] Claromontanus, & Sylvanectensis.
[c] Vocum suffragiis undecim Bellarmini maxime.
[d] Titulis se abdicavit.

[e] Nixus authoritate S. Pontificis, reformandis ordinibus totus incubuit.
[f] Templum S. Genovefæ lapideum invenerat, marmoreum reliquit.
[g] In Eleemosynas totum penè effudit patrimonium.
[h] Ad speculum, & ad sitim aquâ utimur.
[i] In capellâ S. Mariæ.
[k] Rupifucaldus.

CAROLUS FAURE

Canonicus, & Abbas Ecclesiæ S. Genovefæ, Ordinis Canonici Instaurator, & primus Congregationis Gallicanæ Superior Generalis.



PROPINQUAM Ordini Canonico præsagire diem possumus,
Cùm [a] noster [b] *rubere* mons cœperit.
Non fallor: en paret solis [c] Ales,
Quæ, in [d] *Eminentissimâ* nidificans [e] *rupe*,
Cœlestium ambit contubernium.
Hinc & *provocans ad volandum pullos suos*,
Ad solis evectos lumen, obtutu probat.
Cadant impietatis larvæ, ut surgant virtutis Ascetæ:
Ordini collabenti novus en de cœlo FABER,
Qui communi emersus diluvio,
Ad [f] *Arcam* se sic applicuit,
Ut [g] familiâ secum adscitâ,
Ad montem salvus appulerit.
Habes hanc, ô CANONICE, felicitatis partem cum mundo,
Imò, cum CHRISTO communem,
Quòd [h] FABRI filius dicaris, & sis;
Et qui iisdem, quibus Ecclesia, natus es incunabulis,
Reparatorem agnoscas FABRUM.
Hujus in humeros fatiscentem decumbere decuit Ordinem;
Debuit enim à [i] *fabro* in [k] FABRUM refundi, ne labasceret.
SED, qui vixit FABER, ut naufragium eluctaretur,
[l] Moritur *Aquila*, ut cœlum petat.
Huc sequere vocantem CLERICE;
Alis expansis nullum respuit;
[m] *Rupe* nixa, securitatem pollicetur;
Ad cœlum evolans, quâ eundum est, signat iter.

[a] S. Genovefæ.
[b] Propter purpuram Cardinalis Rupifucaldi prædecessoris.
[c] Aquila.
[d] Eminentiæ titulo gaudent Cardinales.
[e] Rupifucaldi fultus præsidio Carolus, Ordinis Canonici reformationem aggressus est.
[f] sc. Capsam S. Genovefæ.
[g] Cùm undecim Canonicis huc venit ex Abbatiâ S. Vincentii Sylvanectensis.
[h] Nonne hic est filius fabri? *Matth. cap.* 13. Nonne hic est faber? *Marc.* 6. Nec mirandum est, ait Aug. lib. 2. de con. Eu. cùm utrumque dici potuerit; eò enim & fabrum credebant, quò fabri filium.
[i] Christo Domino.
[k] Carolum.
[l] Anno 1644.
[m] Rupifucaldo.